



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

II. Ministeria non facile permutanda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

pertinentia, velut sacrorum rex administrat. Personatam hanc dignitatem ac functionem alius deinde, ac rursus alius, munere velut in orbem redeunte, accipit: sicque ex Episcopis rursus simplices fiunt sacerdotes, & vicissim: vt Luna non sæpius vultur, quam talis Ecclesiæ corpus caput suum muret.

II. At quam pulcre vos, ô Reformatores ac Reformati, ac vestræ Ecclesiæ formam expressit is qui de Gothis loquens, non minus in Clericorum electione inconstantibus, *Eos, inquit. modo apostatas, modo alios ex infima fæce hominum ad Episcopatus munus assumere, vt quum veritate ad doctrinam suam pertrahere eos nequeant, hac dignitatis specie inescant. Hodie ergo hunc, cras alium habere Episcopum; hodie Presbyterum, cras Laicum. Huic enim hominum generi non minus quam Clericis ad Ecclesiastica munera apud ipsos aditum patere.* Atqui, ô boni, tam arcto inter se vinculo Pastor & Grex colligati esse debent, vt olim indissolubili illi Matrimonij vinculo comparati sint (a). Eamque ob causam Episcopi apud nos dum consecratur, anulum tamquam desponsationis suæ cum grege artham accipiunt. Vt ergo marito cum vxore diuortium facere non licet, sic neque Pastori gregem suum deserere, quamcumque ob causam, nisi singularem personæ suæ persecutionem. Vbi namque periculum commune est tum præcipue tamquam vigilans canis lupis se opponat, ac virtutem suam in defendendis ouibus ostendat necesse est. Aurum igne purgatur: & boni gubernatoris virtus ac peritia (quod Nicolaus Papa gregem deserere volenti respondisse dicitur) in tempestate magis quam mari tranquillo elucet. S. Athanasius ad tempus quidem à sua discessit Ecclesia; sed eo quod soli ipsi periculum intentaretur. In Catholica certe Ecclesia diuortium hoc non nisi supremi Pastoris consensu fieri potest. At in noua illa & spuria, si forte Minister nimis tenuè habeat stipendium, statim veluti milites nostri, opimius quærit; immo abdicato priori munere, aliud lucrosius vitæ genus amplectitur. Horum sane ego multos noui, *At in Dei Ecclesia, ex D. Apostoli præcepto, quisque in vocatione sua manet, ad quam vocatus est.*

III. Eandem confusionem maiores nostri in præcis notarunt hæreticis. In Gallia vero nostra quia ij qui primi ciuilibus belli ignem accenderunt, nihil magis quam ignem formidant, io munitissimas vires plerique confugere soleant. Neque enim illud eis persuaseris, *Cineres corporum suorum se-*

*mentem Ecclesiæ futurum (b). Quod si Minister parum curus sibi videatur; incommoda simulata valetudine, aut alio quæsito prætextu, relicto grege, aliò abire. Sed & ipsi Pastores à grege nonnūquam, quod vel eius sermones vel mores minus placeant, abdicantur; aut negato stipendio, abire coguntur. Aut si quis ad uena consensu suggestu melius declamasse visus sit, ordinarius ille aut discedere, aut collegam hunc, velit nolit, recipere iubetur.*

IV. Præter hos Ministros, Seniores habent, qui super grege suo vigilant, omniaque ad Consistorium commissa scandala deferunt, præcipue si quis Missæ aut Iesuitæ alicuius concioni inter fuisse deprehensus sit. Horū munus est conuocare populum, vnde etiam apud Gallos *Surueillans*, id est, Superintendentes, appellantur. Differunt tamen hæc inter se nomina. Seniores enim à Græco *πρεσβυτερος*; Superintendentes vero à voca *ἐπισκοπος* dicti videntur. Præpotterò sane ordine: quum apud nouos istos Euangelicos Episcopi Ministrorum sint ministri, aut Consiliarij, atque ita summo quem in primitiua Ecclesia semper obtinuerunt, gradu exciderint. Quia vero pro regionum diuersitate tam nomina quam munera ista variant, & aliter apud Germanos aliter apud Gallos vsurpantur: nobis illud indicasse satis erit, in Caluinianæ Ecclesiæ anarchia ordinem ab eo quæ D. Paullus tradidit, toto cælo, quod aiunt, distidere. Hic enim primo loco ponit Episcopum (qui Gallis est *le surueillant*) secundo Presbyterum, tertio Diaconum: at apud Caluinistas Presbyteri seu Seniores multo pluribus ceremonijs eliguntur quam ipsi Ministri, qui tamen Episcopi videri volunt. Tribus enim continuis septimanis eorum qui ad hoc munus electi sunt, pro concione nomina proclamantur, vt omnes in eorum vitam diligenter inquireant. Idem Ministros, si quid forte quod enorme ipsis videatur dixerint, aut aliud quod minus placeat fecerint, deponendi aut saltem silentium eis imponendi, donec proximo Colloquio aut Synodo certum quid decretum fuerit, habent potestatem. O dignos Theologicis decidendis controuersijs iudices! Ministro tamen ita deposito recurrere licet ad tres proximos Ministros; quorum triumuirum consensu ille donec de re tota statuatur, restitui potest: precario interim munere fungens neq; vllum super gregem habens

S f

a Inno. 3. lib. 1. Myst. Miss. c. 61.

b Tertull. ad Scapulam.